



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

IX. De Beneficijs Christi, & de Adplicatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

inquit Paulus : Postquam uenit plenitudo temporis, misit Deus FILIVM suum, natum ex Muliere, haud dubie hanc promissionem intuens, in qua dicitur, Semen mulieris conteret caput serpentis.

Describitur in hac promissione etiam natura diuina Christi, cum inquit, Conteret caput serpentis. Hinc firmissimè ratiocinamur à Proprio. Contere re caput serpentis, hoc est, ut Iohannes interpretatur, destruere opera Diaboli, seu ut Paulus inquit, Contere re Sathanam sub pedibus, est proprium im mense potentie & diuinae naturae.

Hic promissus liberator conteret caput Serpentis,

Ergo est uere & natura Deus.

## IX.

DE BENEFICIIS  
Christi, & de Applica  
tione.

Ideo reuelata est primis Parentibus promissio de Semine contrituro caput Serpentis, ut in horrendis pauoribus ortus ex sensu iræ Dei aduersus suum lapsum, scirent, FILIVM factum esse deprecato rem pro genere humano, & fore placatorem iustæ & ingentis iræ Dei, & hac consolatione sustentarent. Sic enim ante promulgatam promissionem ex Lege ratiocinabantur.

K s Regula



Regula iusticiæ diuine immota est, irasci peccato & abijcere inobedientes, Nos horribiliter defecimus à Deo, Ergo unà cum Diabolis abijciemur in aternas pœnas.

Hæc demonstratio toti nature rationali insolubilis, miranda ἐπιεικεία sic à Deo mitigata est. Cum Lex Dei obliget uel ad obedientiam, uel ad pœnam, & primi parentes non obedierint Deo, iustissimi erat eos abijci in aternas pœnas. Sed immensa misericordia Filius Dei pœnam in se deriuabit, & ἄνθρωπος pro peccatis in cruce persoluet. Et propter hanc compensationem & precium à Filio persolutum, promittit Deus se ita Homines recepturum esse, ac si ipsi pœnam sustinuisent, & iusti ac sine peccato essent.

Hanc Dei promissionem primi parentes fide complectentes, iterum recepti & reconciliati Deo sunt, & donati Spiritu sancto, noua iusticia & uita aterna. Ac omnes electi omnibus temporibus hoc modo, uidelicet fiducia promissi Seminis à Deo recepti sunt, ut dicitur Act. 15. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, quem admodum & patres nostri &c.

Possunt autem præcipua beneficia Christi hoc modo distribui.

- I. Liberatio ab ira Dei.
- II. A maledictione Legis.

III. A peccato



- III. A peccato.  
 IIII. A morte.  
 V. A Tyrannide Diaboli.  
 VI. Reconciliatio cum Deo.  
 VII. Donatio Spiritus sancti & nouæ iusticiæ.  
 VIII. Gubernatio in uocatione & omnibus uitæ.  
 IX. Victoria aduersus Diabolum. (periculis.  
 X. Donatio Vitæ æternæ.

Hæc beneficia omnia complectitur Deus hac breui oratione, Conteret caput Serpentis. Ac significat uenturum Liberatorem euertere Regnum & potentiam Diaboli, & placare iram Dei, & peccatum ac mortem abolere, & restituere Ecclesiæ Iusticiam & Vitam æternam, Cumq; nerui potentie Diaboli sint peccatum & mors, necesse fuit à Christo uictore Serpentis, initio placari iram Dei, quam peccatum irritat, & tolli mortem, quæ iustis: ordine peccatum comitatur, & sic prorsus regnum Diaboli conculcari.

Hanc gloriosam uictoriam, & contritionem serpentis, & eersionem Regni Diabolici, illustribus uerborum luminibus exornat Paulus Coloss. 2. Remittens nobis omnia peccata, delens Chirographum quod aduersabatur nobis in decretis, & ipsum sustulit ex medio, affigens cruci, expoliatosq; principatus,



patus, ac potestates ostentauit, triumphans de eis per semetipsum. Et Rom. 16. Dominus conteret Satanam sub pedibus uestris. Q. d. Etsi horrendos morsus singulis infligit Diabolus, tamen iacet sub pedibus, non potest se erigere, reprimitur à Christo, & tandem prorsus conculcabitur.

### TEXTVS.

Inimicitiam ponam inter te & Mulierem.)

Pœna peccati supra commemorata sunt, inter quas septima fuit, Tyrannis Diaboli, quem in hoc loco prædicat Deus horribili odio persecuturum esse mulierem, & totum genus humanum, & horribiliter grassaturum aduersus homines. Defendit autem Christus ad se confugientes, & reprimit Diabolum, ne possit grassari ut cupit, sicut Adam ipsum restituit, & postea in multis doloribus exercit. Vult autem Deus nos quoque cum Diabolo, tanquam milites stantes in acie, assidue præliari. Ac descriptio tegumentorum & armorum, quibus ad nostram defensionem & ad feriendum hostem opus est, transferatur ad hanc Moysi concionem ex capitulo 6. Ephes.

Ipsam conteret caput tuum.)

Prima promissio Euangelij de Christo, qui est Semen mulieris seu filius Virginis, qui conteret caput, hoc



put, hoc est, regnum Diaboli, hoc est, abolebit peccatum & mortem. Sic enarrat hanc promissionem prima Epist. Iohan. 3. In hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Et Paulus, Dominus conteret Sathanam sub pedibus. Et Christus Ioh. 16. Princeps mundi huius iam condemnatus est. Et Coloss. 2. Duxit Christus in triumpho Diabolos & c.

Et tu mordebis calcaneum eius.)

Passio Christi & omnium piorum calamitates describuntur. Primum enim Serpens in Christo altius & maiore seucicia & uirulentiore morsu, quam in ullo homine alio dentem fixit, & crudelissimis uulneribus hanc uictimam lacerauit, Deinde in singulorum piorum cordibus Diabolus aliqua seua uulnera facit, ut penè opprimantur desperatione, Sed tamen ut Christus non mansit in morte, sed resuscitatus gloriosum triumphum edidit de Diabolo, & huc letissimum pæana usurpauit. O mors ubi est aculeus tuus, o inferne ubi est morsus tuus. Sic omnes pii hac promissione Dei se sustentent, quod audiunt non caput, sed plantam pedis sauciari, & Christum manere uictorem, & sanare hæc nostra uulnera, cum ad eum confugimus.

Mulierì quoq; dixit.)

Mors & omnes afflictiones corporales, quæ hic  
recen-



recesentur, pœne sunt peccati, quas imponit Deus primis parentibus, iam à se receptis, non ut sint satisfactiones pro pœnis purgatorij uel morte aeterna, sed ut his signis reatus circumdati, agnoscent suum lapsum & iram Dei, & peccata corrigant & emendent.

Pingunt aduersarij hac impositione pœnarum corporalium suas satisfactiones, quarum integritas & satisfactio in doctrina de pœnitentia institui solet.

Pœne autem muliebri sexui hoc in loco impositae, sunt omnes arumnae & dolores in gestatione fetus, partu, educatione liberorum, & tota consuetudine coniugali. Nam uocabulum Haron non solum conceptum, sed totum illud tempus quo foetus est in utero, & egressionem ex utero significat.

Et ipse dominabitur tui.)

Viro potestas regendi, defendendi, docendi, gubernandi committitur, non solum mulierem, sed etiam publicum coetum et politiam, quarum initium est societas uiri & mulieris. Ac intelligatur dominatio in mulierem non tyrannicum, sed, ut Petrus ait, scientiam. Ephes. 5. Vir est caput mulieris.

Illud autem diligenter considerandum est hanc crucem muliebri sexui impositam, uelut pœnam & maledictionem, pijs mulieribus in gloriam & benedictionem conuerti, ut dicitur 1. Timotheo. Saluabitur mulier per generationem filiorum,



manserit in fide, dilectione, castitate & modestia.

Labor etiam qui tanquam pœna peccati Adamo imponitur, in pijs non solum pœna esse definit, sed etiam peculiaris Dei cultus existit, ut dicitur Psal: 128. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Imo seuerissimum Dei mandatum est, ut ocium uelut nocentissimam pestem fugiamus, & diligenter, fideliter, ac constanter labores nostræ uocationi conuenientes faciamus, & laboribus honestis, ea, quæ in omni uita necessaria sunt, comparemus, et societatem hominum communem inuenus, ut præcipitur 1. Thess. 4. In hoc sitis ambitiosi, ut faciatis propria, & proprijs manibus laboretis. Et 2. Thess. 3. Longa & graui oratione ignauia taxatur.

Promisit etiam Deus in officijs uocationum obediendis auxilium, & ostendit labores nostros non inanes, sed nobis & alijs saluares fore, ut dicitur 1. Corinth. 15. Labor uester non erit inanis in Domino.

Et uocauit Adam nomen uxoris suæ Eua.

𐤇𐤇 Hauah, id est, uia seu uiuificatrix, uel quia genus humanum mortuum, per ipsius partum erat uiuificandum. Sperabat enim Adamus suam coniugem illam fore mulierem, cuius benedictum semetipsum caput serpentis contritum esset, ut Eua inquit cap. 4. Possedi hominem Deum.

Fecit



Fecit quoque Dominus eis tunicas pelliceas, & induit eos.)

Deus non solum de uictu, sed etiam uestitu primis parentibus prospicit. Et significat tegi nostram nuditatem seu peccatum, ueste seu iusticia uictima CHRISTI. Nam lapsi primi parentes cognouerunt se esse *NVDOS*, hoc est, spoliatos luce reuelante agnoscente Deum & rectitudine uoluntatis & omnium uirium ἐν τῷ ἔργῳ, denique omni gloria & dignitate, quam ante lapsum habebant.

Conantur autem tegere peccatum folijs ficis, in oculos incurrat, sic omnes homines sine luce Evangelij, existimant se peccatum externa disciplina & iusticia tegere, & propter hoc decus in rebus secundis mirifice sibi placent.

Sed quemadmodum Deus Adamum postea uelut pelle Agno detracta, sic peccatum non nisi Christo Agno seu uictima tegitur, ut dicitur, Beati quoniam tecta sunt peccata, umbraculo filij Dei.

Hanc Christi iusticiam induere nos oportet, non nudi in conspectum Dei uenire uolumus, ut dicitur Gal. 3. Christum induistis, id est, uestiti estis iusticia Christi. Item Esai. 61. Induit me uestimentis sanctis, & uestimento iusticie circumdedit me. 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen induti, non inuenerimus.

Donec reuertaris in terram, unde



sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.)

Mors diuinitus imposita Adamo, & si poena est peccati, tamen simul continet grauissimam consolationem, quod uidelicet, & finis aliquando futurus sit ingentium miseriarum, quibus in hac uita subiciebatur, & non redigendus sit in nihilum, sed quod corpus ipsius arumnosum, morte consumptum ac putrefactum, denuo per uenturum liberatorem sit renouandum ac glorificandum. Cum enim promissio naticinetur de abolendo regno Diaboli, hoc est, peccato & morte, intelligebat Adamus naturam suam renouandam esse, ut copiose hanc doctrinam illustrat Paulus 1. Corinth. 15. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate. Primus homo de terra terrenus, Secundus coelestis & spiritualis etc.

Nec dubium est ad hunc ipsum locum Genesis respexisse Esai. cap. 26. Viuent mortui tui & c. exspersimini & letamini qui habitatis in puluere & c. Et Daniel cap. 12. Multi de his qui dormiunt in puluere, euigilabunt. Et Iob 19. Scio quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum.

Addenda est igitur ad hanc concionem, de morte corporis, tota doctrina de Resurrectione corporum & uita aeterna, cuius certam spem se concepisse

L se Ada-



se Adamus, ipsa Eue nomenclatura ostendit. Ad  
enim nominavit eam uiuificatricem, quia statuet  
se fide promissi Seminis, abolita morte, uicturum  
se. Et pia est altera quoque appellationis ratio, quia  
sperauerit Adamus Euam istius promissi Semini  
matrem fore.

## X.

DE CRUCE ET  
calamitatibus Ecclesie.

Etsi per promissionem Seminis primi parentis  
à Deo recepti sunt, tamen uarijs ac ingentibus aro  
mnis in hac uita subijciuntur. Ac omnibus tempo  
ribus uera Ecclesia Dei præ reliquo genere humani  
tristissimis miserijs onerata est.

Causæ igitur istius oneris, quod su  
stinet Ecclesia, & consolationes oppo  
nendæ diuinitus patefactæ, diligenter con  
siderentur, quas in Loco de Cruce & Calamitatibus  
in Locis Theologicis Philippi, Auditores inueniunt.  
Ac primum impulsivas intueamur, quarum prima  
est Lapsus primorum Parentum, & peccatum com  
mune totius generis humani, propter quod omnes  
homines uniuersaliter morti corporali, & ceteris  
ærumnis subiecti sunt, ut clarè hic dicitur, Quia con  
medisti de ligno & c. reuerteris in terram, unde factus  
est